

sitate habeatur contraria consuetudo, vel privilegium speciale apostolicum (quorum alterutrum passim habeatur) religiosi et alii clerici jus civile publice audire non valeant, uti cum aliis bene observat Fagnanus, loc. cit.

10. *Possunt docere jus civile ac medicinam.* Illud probabilis est, religiosi et clericis sæcularibus non esse prohibitum jus civile, aut medicinam publice, aut privatim docere, aut legere. Barbosa, loc. cit. num. 7; Abbas, in c. fin. h. t. n. 16; Pirhing, eod. num. 37; Navarrus, in *Manual.* cap. xxvii, n. 176, contra Hostiensem, Joan. Andream, Sylvestrum, et alios; quia jura c. 3. et fin. h. t. tantum loquuntur de *audientibus*; ergo ad docentes aut legentes non sunt extendenda, utpote odiosa, c. *In pœnis*, et c. *Odia.* de *Reg. jur.* in 6.

11. *Clerici non possunt negotiari lucri causa.* — IV. Specialiter prohibetur clericis negotiationem lucri causa exercere. c. 6. h. t. ibi: « Sub interminatione anathematis prohibemus, ne clerici lucri causa negotientur; » quænam autem sub tali negotiatione comprehendantur, et quæ non, vide supra tit. I, § 3, a. n. 126 (ADNOTATIO LXIV).

12. *Nec exercere, vel agitare causas, aut iudicium sanguinis, quinam actus per hoc censeantur prohibiti.* — V. Specialiter prohibetur clericis, ne iudicium sanguinis exercent, aut sententiam sanguinis dicent, proferant, vel executioni sententiæ intersint, et ne quidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur, uti aperte constat ex Summariis, et textibus c. *Clericis.* 5 et c. *Sententiam.* 9. h. t. dicitur namque cit. c. 5. h. t. « Clericis in sacris ordinibus constitutis, etc. Iudicium sanguinis agitare non licet. Unde ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas, » et c. 9. eod. « Sententiam sanguinis nullus clericorum dicet, aut proferat: Sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, intersit. Nec quisquam clericus litteras dicet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas. » Concordat can. *Sæpe* 29. et can. *His a quibus* 30. caus. 23. q. 8. et c. *Ex litteris* 10. *Excessib. Prælat.* ubi episcopus ex eo, quod malefactorem in specie occidi consuluerit, suspensioni corporaliter interfuerit, indignus altaris ministerio fuit iudicatus. Ex quibus juribus Glossam in cit. c. *Clericis* 7. *Aut iudicent*, et in c. *Sententiam* 7. *Sanguinis.* h. t. et in c. *Ex litteris de Ex-*

cessib. prælat. 7. *Corporalem.* Abbas, in c. *Sententiam.* h. t. n. 2. 3. et 11. ac alii communiter inferunt, quod clericus sententiam sanguinis nec dicere, nec scribere, nec ad dandum auxilium, aut consilium præbere, nec executioni sententiæ corporaliter interesse valeat. Ratio est, quia indecens est, ut illi, qui Christi lenitatem ac mansuetudinem specialiter, ac vi status sui exprimere tenentur, sanguinem alienum fundant, aut ad id quoquo modo concurrant, arg. cit. can. *Sæpe* et can. *His a quibus.* cau. 23. q. 8. aut sanguinis effusioni corporaliter intersint, cit. c. 9. h. t. et c. *Ex litteris de Excessib. prælat.*

13. *Consilium dare in causa sanguinis, an et quomodo prohibitum clericis?* — Circa consilium tamen, notandum cum Glossa in c. *Ex litteris de Excessibus prælat.* 7. *Consuluit*, quod licet clerici etiam interrogati non possint dare consilium, ut quis in specie occidatur, etsi secundum jura recte consulant; possint tamen interrogati in genere respondere dicendo: « Juxta Jura, vel doctores fures sunt suspendendi: incestuosi cremandi; » vel potest clericus interroganti exhibere jura et doctores, ut ipse videat, quid juris. arg. can. *Pessimam*, 32. cau. 24. q. 8, quod idem docet Barbosa in cit. *Ex litteris de Excessib. prælat.*, num. 5; Molina, tom. IV, tract. III, disp. 74, num. 5, et alii communiter.

14. *Prælati ecclesiastici habentes jurisdictionem temporalem possunt, et debent causas sanguinis laico delegare: ita generaliter, non specialiter.* — Hinc etiam « Episcopus, seu quicumque alius prælatus, vel clericus jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione sua commisso ballavo suo (seu iudici) aut alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens, justitiæ debitum exequatur, irregularis censeretur non debet (neque male agere) quamvis ipse Ballavus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, justitia mediante. Nam licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) dedit et possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare, uti in terminis statuitur c. 3, h. t. in 6.

Potest itaque in tali casu episcopus, vel alius clericus jurisdictionem temporalem obtinens, alicui alteri causam quamvis sanguinis delegare, ac mandando dicere: *examina causam, facque, et judica, quod jus-*

titia, seu jura præscribunt. Non autem potest dicere: Mando, vel volo, ut hic malefactor occidatur, etsi juxta jura mortem promeritus sit. Imo consulit Glossa communiter recepta in cit. c. 3, h. t. in 6. 7. *Episcopus*, ut non specialiter, sed generaliter deleget laico causas sanguinis, constituendo eundem iudicem sanguinis (Germanis *Bann-Richter*). Porro de corporaliter interessentibus quæ specialiter advertendum, quod infra num. 21, dicitur.

15. *Clerici non possunt præponi ruptuariis aut aliis viris sanguinum: nec esse belli duces, bene tamen possunt interesse bello, et milites in eo hortari ad pugnandum.* — VI. Prohibetur, ne clericis ruptuariis (id est iis, qui præstant machinis bellicis, quibus rumpuntur muri, ut notat Joan. Andreas in c. 9, h. t. num. 7) vel balistariis, sive sagittariis, aut aliis hujusmodi viris sanguinum præponatur, cit. c. *Sententiam*, h. t. Unde non possunt constitui duces, vel capitanei militum in bello, uti bene advertit Abbas in cit. c. 9, h. t. Quamvis enim clerici possint interesse bello justo, ac milites ad pugnandum hortari, can. *Ut pridem*, 17, cau. 23, q. 8, tamen non possunt esse belli duces ordinantes aciem, ac dirigentes tormenta bellica, etc., per jura citata. Abbas, loc. cit.

16. *Clerici non possunt exercere artem medicinæ, aut chirurgiæ.* — VII. Prohibetur, « ne chirurgiæ artem subdiaconus, diaconus, aut sacerdos exercent, quæ adustionem, vel incisionem inducit, » cit. c. *Sententiam*, 9, h. t. et ibi doctores omnes. Quod etiam si specialiter prohibetur religiosi, c. *Tu nos.* 19, de *Homicidio*. Ratio est, tum periculum erroris, quod tali chirurgiæ inest, ac dubius curationis eventus, c. *Aures.*, 7, de *Ætate et qualitate*; tum quia chirurgia est officium sæculare; ob quam ultimam rationem notat Abbas in cit. c. *Sententiam*, 9, h. t. num. 21, et 22, chirurgiam, sicut et artem medicinæ exercere, esse absolute prohibitum clericis, etsi citra adustionem, ac incisionem illam exercent, arg. c. 1, h. t. Quod etiam clare desumitur ex cit. c. *Ad aures de Ætate et qualitate*, ac c. *Tua nos.* 19, de *Homicidio*, ubi chirurgiam etiam causa pietatis et charitatis exercere prohibitum narratur. Et de arte medicinæ ratio ulterior est; quia prohibetur clericis illius studium, ergo multo magis ejus exercitium. Abbatis, loc. cit. arg. c. *Cum quid.*, de *Reg. jur.*, in 6, et ibi Joan. Andreas, Sanch., lib. *Moral.*,

cap. xiv, numer. 15, et seqq. Verumtamen Sanchez, loc. cit. quem sequitur Pirhing, h. t. num. 17, docet, Barbosa in c. *Tua nos de Homicidio*. Molina, Bonacina, et alii limitant hoc in casu, quo urgente necessitate, et cessante periculo mortis, clericus artem chirurgiæ, aut medicinæ exerceat ex pietate et charitate erga miserabiles personas in defectu aliorum medicorum, aut chirurgorum; item si medici aut chirurgi præsentés sint minus idonei aut experti: quando autem alii medici aut chirurgi periti haberi possunt, nec causa pietatis licebit, arg. cit. c. *Tua nos de Homicidio*. (ADNOTATIO LXV.)

17. *Enarrantur pœnæ exercentium aliquid ex recensitis negotiis sæcularibus.* — Quæritur III. Quas pœnas incurrant clerici aliquid ex recensitis exercentes negotium sæculare? Resp. I. Si quis minister loci, aut procurator rerum ipsius illicite existat, non defenditur ab Ecclesia, casu quo in suo ministerio aut officio erroneus deprehendatur, c. 2, h. t. « Si quis vero procuracionem villarum, aut jurisdictiones sæculares sub aliquibus principibus, aut sæcularibus viris assumere præsumat, ita ut justitarius, ab ecclesiastico ministerio fiat alienus, » c. *Sed nec*, 4, h. t.

18. Resp. II. Clerici, si illicite assumant tabellionis officium, pœnam privationis beneficii, quod habent, incurunt, si moniti non desistant, c. *Sicut te*, 8, h. t. ibi: « Per beneficiorum subtractionem interdicat. »

19. Resp. III. Religiosi professi, « si extra monasterium illicite (juxta dicta 8 et 9), leges civiles, vel medicinam audiunt, et ad claustrum intra duorum mensium spatium non redierint; sicut excommunicati ab omnibus evitentur, et in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur. Reversi autem in choro, mensa, et cæteris, ultimi fratrum existant, et (nisi forte ex misericordia Sedis apostolicæ) totius spem promotionis amittant, » c. *Non magnopere*, 3, h. t. Et quidem pœnam excommunicationis ipso facto incurunt, uti expresse statuit Honorius III, c. fin. eod. ubi etiam ad archidiaconos, diaconos, plebanos, præpositos, cantores, et alios clericos personatus habentes, necnon presbyteros, constitutionem cit. c. 3, h. t., extendit.

20. De pœnis clericorum, qui negotiationes illicitas exercent, vide tit. I, § 5, num. 133.

21. Resp. IV. Clerici omnes, qui causam, aut iudicium sanguinis agitant, ferendo

sententiam (ut dictum est supra numer. 12), aut etiam scribunt, dictant, vel consulunt, aut aliquod auxilium præstant, ut quis occidatur, aut mutiletur, vel etiam qui executioni mortis, aut mutilationis corporaliter, et auctoritative præsentibus sunt, ipso facto irregulares sunt, possuntque privari officio, et beneficio, c. *Clericis*, 5, h. t. et c. *Sententiam*, 9, eod. juncto c. *Ex litteris de Excessib. prælat.*, ac ibi doctores, ex quibus tamen Abbas in cit. c. 9. h. t. in 6; Hostiensis, et alii cum Glossa communiter recepta in c. 9, h. t. §. *Sanguinis*, ad finem, bene advertunt, quod ad hoc, ut quis ob præsentiam corporalem fiat irregularis, debeat auctoritative, et judicialiter interesse, et aliquo modo auxilium præstare; consequenter eum qui executioni sanguinis sine ulla cooperatione interest, et præcise spectatorem agit, non fieri irregularem, quamvis nihilominus illicite agat, et tanquam contra præceptum sacrorum Canonum alias puniri valeat; nisi specialiter assistens Reo, adesset.

22. Resp. V. Clericus, aut religiosus illite (juxta dicta num. 16) chirurgiam exercens, si ex ea mors sequatur, est irregularis, etiamsi sit eritus, et diligens, et hoc fecerit

causa pietatis, ita summarium, et textus c. *Tua nos, de Homicid.* Concordat c. *Sententiam*, h. t. Pariter irregularis est clericus, aut religiosus, qui artem medicam exercet, aut medicinam præbet aliis, casu quo perceptis medicinis mors sequatur, c. *Ad aures, de Ætate et qualitat.*, ubi nota cum Abbate, in c. 9, h. t. num. 23, clericum, ac religiosum incurrere irregularitatem, si post datam medicinam, vel adhibitam chirurgiam mors, aut mutilatio sequatur, etsi ipse non fuerit in culpa; quia dedit operam rei illicitæ, ob quam imputatur etiam casus absque alia culpa agentis contingens, arg. cit. c. *Tua nos, de Homicid.* Quod si tamen aut mutilatio non sequatur, irregularis non est clericus, aut religiosus exercens chirurgiam, aut medicinam: quamvis nihilominus peccet. Abbas, et alii, nisi in casu necessitatis, ac deficientibus aliis medicis aut chirurgis, pietatis causa faciat juxta dicta num. 16.

Atque hæc in tertium Librum decretalium dicta sufficiant, cedantque ad Laudem et Gloriam Dei, cui soli Benedictio et Claritas, et Sapientia, et Gratiarum actio, Honor, Virtus et Fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER QUARTUS

DECRETALIU

PRÆFATIO.

Quoniam in tertio Decretalium libro potissimum actum fuit de iis, quæ clericos tam regulares, quam sæculares concernunt, ordo exigit, ut in hoc quarto Decretalium libro præcipue agatur de materiis laicos concernentibus, non quidem omnibus (hoc enim spectat ad jus civile) sed de iis, quæ quamvis laicis sint propriæ, tamen ad forum et judicium pertinent Ecclesiæ; cujusmodi sunt sponsalia, matrimonia, et eis annexa; hæc siquidem licet solos inter laicos regulariter reperiantur, laicisque propria existant, tamen ad tribunal pertinent ecclesiasticum, uti patet non solum ex can. *Multorum*, 10, dist. 35, q. 6, et *Accedentibus*, 12, de *Excess. prælat.*, sed etiam novissime definitum est in concilio Trident. sess. 24, can. 12, ibi: « Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit. »

Ut autem liber hic quartus de sponsalibus, matrimonio, et annexis principaliter agens, pro foro ecclesiastico, ubi materia hæc scitu summe necessaria continuo occurrit, practice magis quadret, illa præcipue tractanda seligemus, et uberius explanare juvante Deo conabimur, quæ iudicibus in foro ac tribunali ecclesiastico pro praxi magis servient, prætermittendo, aut nonnisi breviter

tangendo illa, quæ scitu vel minus utilia, vel in Theologia tam speculativa quam morali exacte tradi solita dignoscuntur.

TITULUS I.

De sponsalibus, et matrimonio.

1. *Ratio ordinis rubricarum.* — Duas, uti ex rubrica patet, præsens titulus habet partes, de *Sponsalibus* nempe, et de *Matrimonio*. Quoniam vero sponsalia latius patent quam matrimonium, et hoc plerumque præcedere solent illa, hinc ordinem rubricæ sequentis, prius de *Sponsalibus*, postea de *Matrimonio* agemus.

§ I.

DE NATURA, AC DIVISIONE SPONSALIU, ET REQUISITIS AD EA.

2. *Sponsalia et sponsus unde dicantur.* — Non immoramur etymologiæ sponsalium; notissimum enim est, sponsalia a spondendo derivari ac dici l. 2 et 3, ff. de *Sponsalib.*, quia mos erat apud veteres, quod qui uxorem ducere cupiebat, eam prius ab illis, sub